Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tiusque est autem ioachaz faciem domini et
audivit eum dominus. Vidit enim
angustiam israhel quia attriverat
eos rex syrie. et misit dominus sal
vatorem israhel et liberatus est de ma
nu regis syrie. habitaveruntque filii israhel
in tabernaculis suis sicut heri et nudius
tertius. Verumtamen non recesserunt a pec
catis domus ieroboam qui peccare
fecit israhel in ipsis ambulaverunt. Siquidem
et lucus permansit in samaria. et non
sunt derelicti ioachaz de populo nisi L.
equites et X currus. et X milia pedi
tum. Interfecerat enim eos rex syrie et
redegerat quasi pulverem in tritura a
ree. Reliqua autem sermonum ioachaz
et universa que fecit. sed et fortitudo eius
nonne hec scripta sunt in libro ser
monum dierum regum israhel. Dormi
vitque ioachaz cum patribus suis et
sepelierunt eum in samaria. reg
navitque ioas filius eius pro eo. An
no XXX. VII. ioas regis iuda. reg
navit ioas filius ioachaz super
israhel in samaria. XVI. annis. et
fecit quod malum est in conspectu domini.
Non enim declinavit ab omnibus peccatis
ieroboam filii nabath qui peccare
fecit israhel in ipsis ambulavit. Re
liqua autem sermonum ioas. et univer
sa que fecit. sed et fortitudo eius. quo
modo pugnaverit contra amasiam
regem iude. nonne hec scripta sunt in
libro sermonum dierum regum israhel.
Et dormivit ioas cum patribus suis.
Ieroboam autem sedit super solium eius.
Porro ioas sepultus est in samaria.
cum regibus israhel. Helyseus autem egro
tabat infirmitate qua et mortuus
est. Descenditque ad eum ioas rex
israhel et flebat coram eo. dicebatque
Pater mi. pater mi. currus israhel et auri
ga eius. Et ait illi helyseus. Affer
arcum et sagittas. Cumque attulis
set ad eum arcum et sagittas. dixit
ad regem israhel. Pone manum tuam
super arcum. Et cum posuisset ille ma
num suam. superposuit helyseus ma
nus suas manibus regis. et ait. Aperi
fenestram orientalem. Cumque aperuisset.
dixit helyseus. Iace sagittam. Et iecit.
Et ait helyseus. Sagitta salutis do
mini. et sagitta salutis contra syriam.
et percuties syriam in affech donec con
sumas eam. Et ait. Tolle sagittas.
Qui cum tulisset. rursum dixit ei. Per
cute iaculo terram. Qui cum percussisset tri
bus vicibus et stetisset. iratus est contra eum
vir dei. et ait. Si percussisses quinquies
aut sexies. sive septies. percussisses
syriam usque ad consummationem. Nunc
autem percuties eam tribus vicibus. Mor
tuus est ergo helyseus et sepelierunt eum.
Latrunculi quoque de moab venerunt
in terram in ipso anno. Quidam autem se
pelientes hominem. viderunt latrunculos
et proiecerunt cadaver in sepulchro he
lysei. Quod cum tetigisset ossa helysei.
revixit homo et stetit supra pedes
suos. Igitur azahel rex syrie afflixit
israhel cunctis diebus ioachaz. et misertus
est dominus eorum et reversus est ad eos propter
pactum suum quod habebat ad ysaac et
iacob et noluit disperdere eos. neque proie
cit penitus usque in presens tempus. Mortuus
est autem azahel rex syrie. et regnavit
benadab filius eius pro eo. Porro io
as filius ioachaz tulit urbes de ma
nu benadab filii azahel quas tulerat
de manu ioachaz patris sui iure prelii.
Tribus vicibus percussit eum ioas. et
reddidit civitates israhel. XIIII.

In anno secundo ioas filii ioachaz re
gis israhel regnavit amasias filius io
as regis iuda. XXV. annorum erat cum
regnare cepisset. XX. autem et novem annis
regnavit in ierusalem. Nomen matris eius
ioaden de ierusalem. Et fecit rectum coram
domino. verumtamen non ut david pater
eius. Iuxta omnia que fecit ioas pater
suus fecit. nisi hoc tantum quod excelsa non
abstulit. Adhuc enim populus immolabat